

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 11435/79 CG

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

Incidentis: restitutionis in integrum adversus decretum rotale

IN NOMINI DOMINI. AMEN.

IOANNE PAULO PP. feliciter regnante, Pontificatus dominationis suae anno II, die 26 aprilis 1980, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis PP. DD: Pericle Felici, *Praefecto et Ponente*, Maximiliano de Fürstenberg, Humberto Mozzoni, Petro Palazzini, Conrado Bafile, Iosepho Schröffer, Bernardino Gantin et Ernesto Civardi, in causa N, Nullitatis matrimonii, ad decidendum incidens: Restitutionis in integrum adversus decretum rotale die 10 maii 1978 latum, inter recurrentem D.nam X, repraesentatam per procuratorem Adv.tum Petrum Nicolosi et resistentem Y, interveniente in causa Rev.mo Dominico Semproni, Promotore Iustitiae deputato, hanc tulit definitivam sententiam.

FACTI SPECIES

Die 4 novembris 1925 in pago Z matrimonium coram Ecclesia rite contraxerunt X viginti quattuor annorum et A tribus annis minor. Vir autem, post communem commorationem in W, in P anno 1939 remeavit, muliere in Q relicta. Post aliquod tempus cum mulier nondum reversa esset et vir nullam, factis investigationibus, notitiam de ea habuerit, decretum mortis praesumptae suae uxoris ab auctoritate civili petiit et obtinuit, novumque coniugium contraxit die 10 iunii 1944, et quidem in facie Ecclesiae, cum Y: nati sunt inde duo filii. X propter aëream calamitatem - in militia aëronautica stipendia merebat - vitam vertente anno 1962 amisit.

A reapse mortua non erat, et, in Italiam reversa, cum novisset virum suum esse interemptum, ad obtainendam pensionem, quae interea Y praesumptae viduae d.ni X contigerat, denuntiavit nullitatem matrimonii a viro suo cum Y contracti. .

Instante Nostro Supremo Tribunali, Vicariatus Urbis Tribunal rem processu summario tractavit edixitque per decretum Cardinalis Urbis Vicarii diei 19 decembris 1974 constare de nullitate matrimonii X - Y ob impedimentum ligaminis in viro.

Cum, post appellationem partis conventae ad S. Romanam Rotam, res coram Agustoni ageretur, duaeque causae incidentales, alia a Promotore Iustitiae, alia vero a Defensore Vinculi proposita, a Turno decisae fuerint, patronus partis conventae die 11 martii 1978 petiit ut tamquam incidens ad normarn can. 1972 tractaretur causa nullitatis matrimonii X - A, quae numquam ante tractata fuerat, etsi X, cum A vivens, eam propter simulationem Promotori Iustitiae denuntiavit, nulla tamen sequente Promotoris eiusdem ac cusatione.

Die 10 maii 1978 Turnus rotalis decretit instantiam patroni diei 11 martii 1978, utpote improponibilem, esse reiciendam: decretum autem Cardinalis Vicarii diei 19 decembris 1974 esse confirmandum, ideoque constare de nullitate matrimonii X - Y.

Adversus hoc decretum post plus annum transactum, nempe instantiis dierum 11 iulii et 10 augusti 1979, patronus partis conventae petiit a Signatura Apostolica restitutionem in integrum, ita ut pars conventa accusare posset nullitatis matrimonium X - A, ideoque scire utrum validum fuerit necne matrimonium a se cum X contractum.

Cum A se remiserit iustitiae Tribunalis, Hoc Supremum Tribunal in Congressu diei 7 martii 1980 statuit recursum ad disceptionem Patrum Cardinalium esse admittendum.

Concordatum est igitur die 17 martii 1980 dubium: "An concedenda sit restitutio in integrum adversus decretum rotale coram Agustoni diei 10 mai 1978".

IN IURE ET IN FACTO

Restitutio in integrum, quam a Nostro Supremo Tribunali patronus partis conventae postulat, est remedium extraordinarium, quod tunc tantum conceditur cum ad iura vindicanda nullum aliud suppetat ordinarium remedium. In casu nostro cum patronus partis conventae nullum opposuerit adversus decretum Turni rotalis recursum seu appellationem, nullum revera datur conventae aliud ordinarium iurium suorum tutandorum remedium. Neque dicatur posse adhuc dari appellatio, cum causae matrimoniales, quae sunt causae de statu personarum, numquam transeant in rem iudicatam. Etenim causa haec incidentalis, quamvis in causa matrimoniali, tanquam in

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

principali, veluti incardinetur, per se non est de statu personarum, qui iam per mortem D.ni X cessavit, sed potius de commodis oeconomicis ex illo statu derivantibus et lege manentibus.

Attamen videndum est utrum habeantur condiciones ad remedium extraordinarium largiendum. Ex cann. 1905, §§1 et 2, restitutio in integrum datur intra fines cann. 1687, 1688, dummodo de evidenti iniustitia rei iudicatae manifesto constet. Unus autem ex casibus in quibus de iniustitia manifesto constat habetur quando legis praescriptum neglectum fuerit.

Porro patronus partis conventae, praeter aliquos errores de facto (qui tamen sunt minoris momenti et discuti possunt), obicit decreto rotali impugnato quod neglexerit can. 1972. Decreverunt nimirum Iudices rotales: “Incidentis quaestio ... excitari nequit sive attentis can. 1972 et art. 222 Instructionis *Provida Mater*, sive considerato recto iuris ordine cognoscendi. Ex una parte enim constat utroque coniuge vivente matrimonium X - A numquam esse accusatum; ex altera vero parte inseri nequit causa incidentis, suapte natura definienda omnibus iuris sollemnitatibus integre servatis, processui summario, quo definiuntur casus excepti”.

Profecto causis definiendis post mortem alterutrius vel utriusque coniugis, noster Codex providet praesertim duobus canonibus, nempe can. 1733 (art. 222 Instr. “*Provida Mater*”) et can. 1972 (art. 42 Instructionis citatae): prior tamen respicit interruptionem instantiae cum pars litigans moriatur aut cesset ab officio, supponit igitur instauratam fuisse instantiam per litis contestationem: posterior vero canon respicit casum quo instantiae numquam initium datum fuerit sed matrimonium fuerit accusatum post mortem alterutrius vel utriusque coniugis.

In casu nostro, etsi in coniugibus X - A fuit voluntas accusandi proprium matrimonium penes Tribunal ecclesiasticum M, nil tamen inde consequutum est, ex oppositione Promotoris Iustitiae. Neque D.nus X instituit, cum interea habuerit documentum de morte praesumpta uxoris sua. Ergo numquam instantia vere instaurata fuit.

De can. 1972 igitur discutiendum est: quo quidem duo statuuntur: 1. matrimonium quod, utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio; 2. admittitur tamen probatio si incidenter oriatur quaestio.

Ergo, cum per mortem dissolutum fuerit matrimonium, igitur nec status nec sacramentum subsistat amplius, nemo potest matrimonium illud accusare nullitatis, neque pars forte superstes, neque ob bonum publicum,

Promotor Iustitiae vel Vinculi Defensor. Sed cum ex matrimonio multa potuerint profluere vel iura vel “interesse”, quae non unos coniuges tetigerint, merito Legislator statuit posse propter haec incidenter de matrimonii nullitate tractari, dummodo, uti patet, iuridica conexio inter iura et matrimonium habeatur. Neque canon limites ponit circa personas quae causam incidentalem excitare valeant: potest ergo esse pars superstes, Promotor Iustitiae, Defensor Vinculi, tertius in causa, aliave persona legitimum interesse habens, ut filius, haeres, etc. Et merito quidem, nam: “Canon 1972 concedit simpliciter substitutionem processualem, vi cuius tertius non subintragat coniugibus in relatione substantiva, sed tantummodo in relatione processuali, ad exercendum ius alienum, pro interesse quidem proprio, quod directe prosequitur in causa principali, quin tamen vinculum directe afficiat”. Idcirco: “actio incidentalis postuma adeo diversa est ab actione originaria a Promotore Iustitiae tutelabili (adde pro casu nostro: vel ab ipsis coniugibus proposita), ut rigore iuris vix dici possit actio status, cum potius confundatur cum actione seu cum interesse privato in causa principali “(Supremum Signatae Apostolicae Tribunal in Tarentina seu Baren, nullitatis matrimonii, diei 3 iulii 1971).

Porro causam incidentem penes S.Romanam Rotam proposuit Y, quae erat pars in causa summarie tractata. Haec quidem ex citato can. 1972 directe accusare nequibat neque suum matrimonium cum D.no X neque eo minus matrimonium X – A, sed iure valebat, ad defendendam suam pensionem qua seipsam et duos filios ex X legitime susceptos aleret, a iudicibus petere utrum validum esset matrimonium quod in facie Ecclesiae contraxerat cum D.no X: ad quod faciendum investigandum erat in matrimonium X - A, quod ipse X, etsi instantia initium non habuerat, nullum Promotori Iustitiae, utroque coniuge vivente, denuntiaverat. Viget igitur conexio iuridica inter causam principalem et secundariam, quae hodie principem tenet locum et solvi non potest, nisi principalis solvatur.

Legem ergo neglexit decretum rotale de quo disceptamus in decernenda improponibilitate instantiae patroni partis conventae,

Asserit praeterea decretum rotale causam incidentem processui summario inseri non posse, quo definiuntur casus excepti et insuper causam, incidentem suapte natura esse definiendam omnibus iuris, sollemnitatibus integre servatis.

Verum enim vero neque unum neque alterum sustineri potest: non primum, quia processus summarius, etsi peculiaris est indolis, inter iudiciales accensendus est, quapropter incidentes causas admittit (quemadmodum Iudices rotales duas incidentes causas admiserunt

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

solveruntque) ante definitionem causae principalis, ad normam can. 1837: solvendi non alterum quia ex can. 1840, §1, modus definiendi causam incidentem, utrum via iudicali an per decretum, remittitur iudici; ex §2 autem et §3 aliqua pariter libertas eidem iudici tribuitur in dilationum terminis statuendis et in rationibus exponendis, quando iudicii forma servata non fuerit.

Cum igitur Iudices rotales declarando improponibilem instantiam partis conventae diei 11 martii 1978 praescripta canonum quos citavimus neglexerint, manifesto constat de iniustitia rei iudicatae, et proinde deficiente, in casu, ordinario remedio contra decretum rotale praedictum, extraordinarium restitutionis in integrum remedium concedendum est.

Quaerat quispam quid utilitatis sit causam nullitatis matrimonii X - A, etsi incidenter, cognoscere, cum matrimonium iam a quinquaginta quinque annis contractum sit, et obierit a duodeviginti annis X, qui suum matrimonium cum D.na A, simulationis denuntiaverat Tribunali M, ideoque probatio nullitatis, quam nunc D.na A oppugnat, perdifficilis evadat. Sed haec omnia, quae S.Romana Rota perpendere debet in comparandis probationibus ad iudicium promendum, nostra praetereunt, cum de legitimitate tantum, iuxta dubium concordatam, agendum sit.

Quibus omnibus, tum in iure tum in facto mature perpensis, Collegium Em.morum Patrum Cardinalium, pro tribunali sedens ac solum Deum pree oculis habens, Christi nomine invocato, proposito dubio respondendum censuit uti respondet:

Affirmative, seu concedenda est restitutio in integrum adversus decretum rotale coram Agustoni diei 10 maii 1978.

(subsignationes) Pericles Card. FELICI, *Praefectus et Ponens*
Maximilianus Card. DE FÜSTENBERG
Humbertus Card. MOZZONI
Petrus Card. PALAZZINI
Conradus Card. BAFILE
Josephus Card. SCHRÖFFER
Bernardinus Card. GANTIN
Ernestus Card. CIVARDI

Notificetur
Die 31 maii 1980

IURISPRUDENTIA: PROT. N. 11435/79 CG

+ Aurelius Sabattani, Secr.

Vincentius Cárcel Ortí, Not.

N